



**Quotidiana Christiani Militis Tessera**

**Stanyhurst, Guillaume**

**Coloniæ Agrippinæ, 1682**

4. Dies Januarii. Ordo est, quem si tenuerimus in vitâ, perducet ad Deum,  
quem nisi tenuerimus vita, non perveniemus ad Deum. Aug. I. I. de Ord.  
c.9.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](#)

entum; post horam igitur? Vel horam nisi erat longa mora. Quando ergo? Audi loquentem, sequere praeuentem. (a) *Dixi: nunc capi.* Non differam in crastinum, non in sequentem horam, non ad momentum temporis; sed hoc loco, hoc momento; nullâ interpositâ temporis mora; denique non pauciò post, incipiam, sed *nunc capi.* Tale sit & tuum decretum. Nunc cum est dies salutis, nunc cum favet tempus, quod est acceptabile, ætas quæ floret, valetudo quæ est integra, dum cœlum promissum mihi in præmium: Hodie non incipiam, nec cras, sed jam *nunc capi.*

*Per multum cras, cras, tandem dilabitur ætas.*

#### 4. DIES JANUARII.

Ordo est, quem si tenuerimus in vita, perducet ad Deum, quem nisi tenuerimus in vita, non perveniemus ad Deum. *Aug. l. I. de Ord. c. 9.*

In omni-  
bus ser-  
vandus  
ordo.

I.  
**R**

Erum principium, tenere in rerum successibus principatum, fuit hesternæ tesseræ argumentum. Sed ne in principio devies ab eo qui est principium, sit tibi princeps labor servare ordinem. Nec enim qui venisti à Deo, pervenies ad Deum, nisi beneficio ordinis. Ut hunc serves, quid sit ordo, observes. (b) *Ordo est dispositio plurium, tribuens unicuique quod suum est.* Graviter necesse

(a) *Psal. 76. 11.* (b) *Gerson. T. 4. defin. terminor.*

Januar.

Tessera.

9

necesse est tibi imponas, nisi gnaviter omnia suo ordine disponas. Nec unquam eris tuus, nisi tribuas unicuique quod est suum. Servandum esse ordinem in omnib<sup>z</sup>, docent omnia. (a) *Ordo celestia, & terrestria continet. Ordo in iis quae ratione intelliguntur, ordo in iis quae sensu percipiuntur, ordo in Angelis, ordo in astrorum motu, magnitudine, mutua relatione, splendore. Ordo in anni partibus, & temporibus, aptè & distinctè tum progradientibus, tum recedentibus. Ordo in diei, ac noctis mensuris, & intervallis. Ordo in elementis, ex quibus corpora constant. Ordo cœlum in orbem duxit, aerem exporrexit, terram supposuit, humidam naturam fudit, atque in unum locum contraxit: ventos emisit, aquas in nubibus astrinxit.* Itaque in omnibus servavit ordinem Auctor ordinis. Unde rogatus Themistius, quod esset proprium opus Dei? Scitè respondit: (b) *Omnia ex sua confusione, & perturbatione, ad ordinem suum revocare.*

II. Contra ordinis defectus, est certus rerum interitus. De hoc idem Gregorius. (c) *Sine ordine, perturbatio, & confusio, in aere tonitrua, in terra motus, in mari naufragium, in urbibus bella, in domibus dissidia, in corporibus morbi, in animis peccata.* Ruit sine ordine Megalo-cosmus, & stabit sine eo Micro-cosmus? Quid est homo sine ordine, nisi corpus sine capite? Non tam homo, quam monstrum hominis. Si sit in vita tua rerum chaos, & confusio, eris (d) *filius confusionis.* Ordinis est vitium, ancillam dominari, dominam ancillari. Ut ergo sit ordo, subsit corpus animo, animus Deo. Qui ambulas su-

A §

pra

(a) *Greg. Naz. Orat. 26.* (b) *Orat. 14. pag. 333.* (c)  
Supracitat. (d) *Prov. 10. 5.*

pra terram , noli te dimittere infraterram. Si tui investiges originem, illa te docebit ordinem. Rogatus unde sis? Cogeris cum Christo respondere, si verum velis fateri: (a) *Ego de supernis sum*. Quid ergo quæris in terra deorsum , cùm sit (b) *Deus in cælo sursum*? Qui es sublimi in cœlum aspectu, noli esse declivi in solum affectu. Te perdes, nisi in te ordinem serves.

III. Serva ordinem in animi tui politia , qui servatur in Republica : ubi liberi parentibus , servi heris , clientes patronis, discipuli Magistris, indocti sapientibus, viles nobilibus, pauperes opulentis, plebei Magistratui, Magistratus Consuli , hic Principi se submittunt. Sine hoc ordine venustas Reipublicæ perit, imò Respublica ipsa interit. Idem tibi metue , si non disponantur omnia ordine. Habeat in hoc ordine quodlibet opus, suum tempus, & quodlibet tempus, suum opus. Hæc si inter se sint conexa, & hærentia , & instar catenæ suis annulis egregiè composita , musicam veluti quandam efficient resonantem , quæ suo decore tenebit omnium oculos , rapiet animos. Sine hoc ordine , erit in omnibus actionibus fluctuatio , in negotiis hallucinatio , in omnibus funesta confusio. Hoc malum si putas leve, fies tibimet ipsi gravis : nam juxta vetus metrum :

*Inordinatus animus, pœna sibi met est sua.*

(a) *Ioan.8.23.* (b) *Deut.4.59.*

\*\*\*\*\*

\*\*

§. DIES